



M. VITRUVII DE ARCHITECTURA  
LIBER PRIMVS.



VM diuina mens tua & numen imperator Cæsar imperio potiretur orbis terrarum, inuictaq; virtute cunctis hostibus stratis, triumpho victoriaq; tua ciues gloriarentur, & gētes omnes subactæ tuum spectarēt nutum, popululq; romanus & senatus liberatus timore, amplissimis tuis cogitationibus cōsiliisq; gubernaretur, nō audebam tantis occupationibus de architectura scripta, & magnis cogitationibus explicata edere: metuens ne nō apto tempore interpellans, subirem tui animi offensionem. Cum vero attenderem te nō solum de vita cōmuni omniū curam, publicæq; rei cōstitutionem habere, sed etiam de opportunitate publicorum edificiorū, vt ciuitas per te nō solum prouinciis esset aucta, verum etiā vt maiestas imperii publicorum ædificiorū egregias haberet autoritates, non putavi pretermittendum, quin primo quoq; tempore de his rebus ea tibi ederem. Ideo q; primum parēti tuo de eo fueram notus, & eius virtutis studiosus. Cum autem concilium cœlestium in sedibus imortalitatis eum dedicauisset, & imperium parentis in tuam potestatem transtulisset, idem studium meum in eius memoria permanēs, in te contulit fauorem. Itaq; cum M. aurelio, & P. minidio, & Cn. cornelio, ad apparationem balistarum & scorpionū, reliquorumq; tormētorum refectionem, fui presto, & cū eis cōmoda accepi: quæ cum primo mihi tribuisti, recognitionem per sororis cōmédationem seruasti. Cū ergo eo beneficio essem obligatus, vt ad exitum vitæ non haberem inopiæ timorē, hæc tibi scribere cepi: q; animaduerti multa te ædificauisse, & nunc edificare: reliquo quoq; tempore, & publicorum, & priuatorū edificiorum, pro amplitudine rerum gestarum, vt posteris memoriæ traderentur, curam habiturum. Cōscripsi perscriptiōes terminatas, vt eas attendēs, & ante facta, & futura qualia sint opera, per te nota posses habere: namq; his voluminibus aperui omnes disciplinæ rationes,

Quid sit architectura & De architectis instituendis, Caput. I.



Architectura est sciētia pluribus disciplinis, & variis eruditionibus ornata, cuius iudicio probatur omnia quæ ab ceteris artibus p̄ficiuntur opera. Ea nascitur ex fabrica, & ratiocinatiōe. Fabrica est continuata ac trita vsus meditatio, quæ manibus perficitur e materia cuiuscunq; generis opus est ad propositū deformationis. Ratio

A

*Architectura est scientia pluribus  
disciplinis: ornata variis doctrinis*

*Fabrica est continuata ac trita  
vsus meditatio iustitiae*